

quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: quumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus. Et, quum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admistum, dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire; magnoque esse argumento, homines scire pleraque, ante quam nati sint, quod jam pueri, quum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Haec Plato noster.

Tusc. I. 29. vid. supra.

Tusc. I. 30. — His et talibus rationibus adductus Socrates, nec patronum quaesivit ad judicium capitis, nec judicibus supplex fuit: adhibuitque liberam contumaciam, a magnitudine animi ductam, non a superbia: et supremo vitae die de hoc ipso multa disseruit, et paucis ante diebus, quum facile posset educi e custodia, noluit: et quum paene in manu jam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in coelum videretur ascendere. Ita enim censebat, itaque disseruit: duas esse vias, duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis corporibus contaminavissent, et se totos libidinibus dedidissent, quibus caecati, vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent, vel re publica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum: qui autem se integros, castosque servassent, quibusque fuisse minima cum corporibus contagio, seseque ab his semper sevocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum: his ad illos, a quibus essent profecti, redditum facilem patere. Ita commemorat, ut cygni,